



**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia
Dominicarum Totius Anni**

Hartung, Philipp von

Egræ, 1689

Problema XXIII. Cur Servo debitori iteratò delinquenti facta denuò non sit gratia? Dominica XXI. Post Pentecosten. Iratus Dominus tradidit eum tortoribus. Matth. 18. v. 34.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



PROBLEMA XXIII.

Cur Servo debitori iteratò delinquenti facta
denuò non sit gratia?

DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

Iratus Dominus tradidit eum tortoribus.

Matth. 18. v. 34.

S. I.
Septuagies
es septies
jubes Christum
remitti offensa-
m, cum
tamen Rex
non remittit
Secundam.



QVæsierat ex Christo Petrus, quoties ignoscendum adversario? an satis foret septies condonasse, octavâ autem vice sumere liceret ultionem! cui Dominus: *non dico tibi, usque septies, sed septuagies, septies* Matth. 18. v. 22. vel ut in græco est: *septuagies septem*. hoc est 490. vicibus, ut alludatur ad 70. hebdomadas Danielis, quæ faciunt 490. annos, quot videlicet fluxerunt à decreto reædificandæ Jerusalem ad Nativitatem Christi, per quem facta est plenissima peccatorum omnium remissio. Vel si vulgatæ inhærere malimus, ideo numerus septuagesimus septimus positus est, ut alluderetur interprete D. Hilario ad Lamech, qui de se confitetur Gen. 4. v. 24. *Septuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagesies septies*. Sicut enim Lamech in 77. filiis suis, quos omnes in diluvio perdidit velut in septuaginta septem generationibus punitus est, ita Christus in generatione septuagesima septima prognatus est ad omnem peccatorum culpam pariter

ac poenam abolendam. aut Si Gregorii Magni & Divi Augustini præplacet interpretatio, ideo numerus septuagesimus septimus positus est, quia Septimus numerus est Symbolum Universitatis, eò quòd septem dierum spatio conditum & ornatum sit Universum omnèque tempus diebus septem volvatur & concludatur, numerus verò undécimus symbolum est peccati, quia hic numerus unitate transgreditur denarium divinæ legis seu decalogum. jam ergo septies undecim faciunt 77. ergò per 77. numerum omnia omninò peccata remittenda esse Salvator significat. Audeo dicere, inquit Augustinus, etsi septuagesies octies peccaverit, ignoscas: & si centies, & omninò quoties peccaverit, ignosce. Sic enim Christus millia peccatorum invenit, & tamen omnia donavit. Ut ergò suo Christus exemplo pervaderet indefinitam peccatorum remissionem, parabolam adducit de Servo 120. millionum debitore, quod tamen illi debitum ad exiguas preces clementissimè fuit remissum: *Ideo assimilatum est regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum Ser-*

S. Gregor.
l. 32. moral. c. 12.
S. Aug.
Ser. 15. de
verb.
Dom.

R 3

vis

vis fuit. Sed hac ipsa in parabola perquam difficilè mihi semper visum est mysterium, quòd Rex Servo secundùm delinquenti nequam pepercerit, cum tamen septuagesimâ septimâ vice peccanti parcendum esse monuerit, in eumque finem parabolam hodiernam adduxerit. quid hic responsi? ex alto omnium vestrum silentio indubitatum altissimi mysterii cepi responsum, quod brevissimè pandã.

§. 2.
Veniam
Servus de-
nuò impe-
trãffet, si
rogãffet.

Facilem Servus veniam invenit, quia ingemuit, supplicavit, illacrymatus est, itaque grandem debitorum Syngrapham delevit atque difflavit: *omne debitum dimisi tibi, quoniam rogãstime.* Si denuò rogãffet & patientiam divinam appellãffet, de obtinenda rursus venia dubitari vix potest, quia verò obmutuit, idcirco clementiam non meruit, sed impatientem Sceleris DEum persensit. Quotquot unquam in sacris litteris veniam petiisse legimus, non difficulter eandem novimus impetrãsse. paradiso non exulãffet Adamus, si orare quàm se excusare maluisset; in paradysum admissus cum dextero fuisset latro sinister, si orare potius quàm blasphemare placuisset. Si Cain, si Core, si ceteri omnes peccatores divinam adorãssent patientiam, spondere ausim exoratos pariter fuisse, ut recepti in gratiam immortalis gloriã imperium hodie obtinerent. Habet certè oratio eam vim ac efficaciam, ut imperare potius videatur, quàm impetrare. Percusserat Angelus Domini populum Israeliticum pestilentia ob superbiam Regis, ut pestis peste elueretur. quia tamen justitiam nunquam non comitatur misericordia: *Misertus est Dominus super afflictione, & ait Angelo percutienti populum: sufficit. nunc contine manum tuam* 2. Reg. 2. & tamen Angelus pergit percutere,

donec orãffet David: Ambrosius in Pl. 37. *Si mandaverat Dominus Angelo, ut parceret, quomodo seriebat adhuc Angelus? etsi Dominus vult ignoscere, vult tamen rogari.* quasi Angelus potius precibus deferret eliminatã pestis horrorem, quàm jubentis DEi nutui.

Matth. 26. Sanatã Malchi auriculã increpat Dominus Petrum: *An putas quia non possum, rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quàm 12. legiones Angelorum.* Quid ò Domine loqueris? *possum rogare.* cur non possum imperare, æqualis enim cum Patre es potentia. Scit Filius DEi stylum curiã, Angeli etsi prompti ad parendum, promptiores sunt ad voces precantum. Itã Joseph de la Cerda in Judith: *maluit (Christus) uti rogationis potentia, quàm Deitatis imperio, velut si velocius accurrerent castra cœlestia roganti ut homini, quàm ut Numini tunc jubenti.*

Pugnabat invictus dux Josue contra 5. Reges Amorrhæorum, sed deficiente die prosequi commodè victoriam non poterat. quare contra solem conversus exclamavit: *Sol contra Gabaon nè movearis.* c. 10. v. 12. & ecce dicto citius stetit Sol in medio cœli. habuitne Sol aures ad audiendum? & licet audiisset, an non debuisset potius præceptum DEi servare, *quod illi præceptum posuit & non præteribit.* Stetit Sol obediente Domino voci hominis. Nimirum tam potens est oratio, ut Sol obliviscatur præcepti. Eleganter Salvianus l. 2. de gubern. ad illud Davidicum: *Aures DEi in preces justorum; non audientia tantum DEI, sed quædam quasi obedientia designatur.*

Rebecca post sterilitatis vicennium tandem propter preces Isaac fœcundatur. At colliduntur in utero parvuli. tum illa: *si sic futurum*

rum erat mihi, quid necesse erat concipere. Notat Didacus Celada in benedicto Patriarcha verbum *necesse* quod naturæ impossibile est, precariâ orationis omnipotentiâ, non tantum possibile, sed etiam necessarium redditur. quin & ipse Servus debitor post latam primam à Rege sententiam, quâ venundari cum uxore & filiis & familia universa jubebatur, non venditus est, sed rogare permissus, & veniam consecutus. Stupet Hieronymus epist. ad Damascenos. utrum potentius sit verbum supplex Servi, quàm Regis edictum? vult DEUS esse preces nostras prope potentiores præcepto suo. *DEUS ipse qui nullis contra se viribus superari potest, orantis precibus vincitur.* Hinc oratio dominans à Cl. Alex. in Strom. vocatur, dominata fuisset vice quoque alterâ serui oratio, si eam promptè protulisset. quia verò obmutuit servus, obsurdit pariter Dominus. Sed cur obmutuit? cur culpam confessus non est, neque veniam spondit? malitia Servum nequam non tantum excæcavit, ut in infinitam Regis clementiam non respiceret, sed & elinguem reddidit, ut divinarum multitudinem miserationum nè verbulo interpellaret, sed in sua induratus impœnitidine, veniam penitus desperaret. Exaggerabatur, ut opinor, eidem excrandâ relapsus sui enormitas quæ primam culpam facile septies ob septemlicem malitiam solet reddere deteriorem.

§. 3.
Septu-
plex mali-
tia in re-
lapsu.

Et prima quidem est intoleranda ingratitude. *indulgentiæ ingratus est* (inquit Chrysostomus Ser. de lapsu primi hominis) *qui post veniam peccat.* Sanitate indignus est, qui se ipsum, postquam curatus est, vulnerat, imò qui medicum suum mercedis loco vulnerat; nec mundari meretur, qui semetipsum

post gratiam fordidat. propter quam ingratitude docet idem Orator aureus peccatum secundum præ primo nimium quantum aggravari: *post hæc peccata dupla & quadrupla fiunt, quia ingrati sumus, propter ingratitude malum fit immedicabile.* ita ille homil. 1. in acta. Ingratitude accedit infidelitas, cum enim juxta doctrinam Divi Hilarii in ps. 137. *confessio peccati confessio sit desinendi*, professionem hanc nequiter violat fidemque datam frangit, qui denuò peccare præsumit. idcirco Servus *nequam* appellatur, qui Domini sui clementiam irritavit. *Servo peior est*, inquit iterum Chrysostomus, *qui Patronum post datam libertatem, imò post fidem stipulatam, offendit.* Unde mirum non est, quòd misericordiam non mereatur, nec patronum facile reperiatur, qui pro reo intercedere dignetur. *Quis miserebitur tui Jerusalem?* ait. Dominus Jerem. 15. v. 5. *aut quis contristabitur pro te? aut quis ibit ad rogandum pro pace tua?* cum enim relapsus peccator DEi & hominum fidem fefellerit, idcirco sanctorum nullus spondere pro tali audebit. Ingratitude hanc comitatur contemptus divinæ veniæ, quam si appetiari relapsi, ut par erat, voluissent, tam facile eadem haudquaquam prodegissent: *deliquerunt mihi & spreverunt me* Jer. 33. v. 8. quia verò contempsere, idcirco contenti à DEO sunt juxta illud: *Væ qui spernis, nonne & ipse sperneris* Is. 33. v. 7. vilissimo certè loco inter peccatores ceteros est relapsus, ut patet ex illa admirantis Jeremiæ quæstione c. 2. v. 36. *Quam vilis facta es nimis iterans vias tuas?* Comparantur recidivi *sali infatuato*, quod ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras & conculcetur ab hominibus. In statuam salis abiit uxor Lothi, quia respexit & imagi-

Matth. 5.
v. 13.

maginem eorum expressit, quotquot ad priora respectant scelera, & divinam gratiam contemptui habent. qui in agro divinæ amicitiae est, non redeat retrò ad cœnum vitiorum. *memores estote Uxoris Loth* Luc. 17. v. 32. *quæ Uxor Loth* (S. Prosperum recito) præcepta contemnens retròque respiciens statua Salis effecta, suo exemplo fatuos condivit, in proposito sancto quot tendunt, noxiâ curiositate retrò non respicere. Respexit mulier, quia contempsit, & quia contempsit in salem infatuatum conversa contemni ab omnibus meruit. Extremo digni contemptu & proculcatione sunt omnes illi, qui dum vetera repetunt flagitia, conculcare, ut ait Apostolus, Filium DEi non verentur. *Quomodo conculcat quisquam Filium DEi?* quærit Chrysostomus, & respondet: *quando qui particeps est cum ipso in mysteriis, peccatum committit, nonne illum conculcat? nonne illum contemnit? sic enim, quæ conculcamus, nullius momenti pendimus: Sic & qui peccant, & quidem secundò, quartò, sextò, septuagesimò idem peccatum patrant, Christum nullius momenti existimant.* At Sentient momento vitæ supremo & æternitate totâ quid sit DEum contemnisse, irrississe, proculcasse. *DEus non irridetur*, multò minùs conculcatur, ipse verius in interitu illorum ridebit, subsannabit, conculcabit. Putant quidem relapsi, se facillè veniam denuò consecuturos, sicut priùs consecuti sunt, ideòque ex præsumta DEi misericordia peccant (quæ est quarta malicia & peccatum in Spiritum Sanctum, quod æterna Veritas vocat *irremissibile* Matth. 12. v. 32.) at non erit tam facilis venia, quàm sibi ipsis imaginantur. quia enim impudenti ex præfidentia DEo toties verterunt dorsum juxta id Jerem. 2. v. 27. *verterunt ad me*

tergum & non faciem, talionem iisdem minatur DEus: dorsum & non faciem ostendam eis in die perditionis eorum Jerem. 18. v. 17. Monet proinde D. Ambrosius diligentissimè cavendum esse relapsum, nè prior pœnitentia in graviolem cedat damnationem, sicut prima debitorum remissio Servo hodierno majorem Domini provocavit iram ad severius nequam Servum puniendum: *eos qui pœnitentiam agunt, hoc solum timere oportet, nè ipsius pœnitentiae agant pœnitentiam.* quamvis enim *sinè pœnitentia sunt dona DEI* Rom. 11. v. 29. adeòque peccata semel remissâ semper remissâ censentur ut docent Theologi cum Angelico Doctore, nihilominus peccatum repetitum gravius redditur & acerbius punitur. Quamquam dubitare quis non immeritò possit, utrùm seriò acta pro peccatis fuerit pœnitentia, si tam citò & facillè delicta pristina reitorentur. hypocrisin potius appellavero & crocodili lacrymas, quàm ut mihi persuadeam synceram scelerum detestationem & emendationis propositum præcessisse. Si ergò simulata fuit pœnitentia, pœnam longè gravissimam merebatur juxta receptissimam D. Augustini gnominam: *Simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas.* Demus tamen seriò syncerèque pœnitentiam actam fuisse, si nihilominus condonata rursus perpetrentur flagitia, immanem suam insipientiam recidivus manifestat, & se amenibus omnibus dementiorem esse indubitatè demonstrat. *Arvicula semel capta* (Chrysostomi est oratio homil. 13. ad pop.) *laqueo mox elapsa, & cervus in rete decidens & effugiens iisdem iterum difficillè capiuntur. Nam cuique fit experientia cautela magistra. Nos sepiùs iisdem capti in eadem cadimus.* Ideòque

S. Prosper
de bene-
dict. &
promiss.
p. 1. c. 16.

Gal. 6. v. 7.

S. Ambros.
1. 2. de pœ-
nit. c. 9.

3. p. q. 88.
2. 1. & 3.

que non tantum jumentis insipientibus à Psalte comparandi, sed brutis ipsis longè deteriores pronuntiandi sumus. & hinc est, quòd nè mutire audeat relapsus Servus, eò quòd excusatio non occurrat, quâ prudenter nova sua insipientia possit exculpari. Inexcusabilis es ô homo omnis, qui te ipso iudice ac teste pronuntiasti: *Malum & amarum est reliquisse Dominum DEum*, hunc nihilominus Amabilem Dominum dicto citius deseris, & ad amaritudinem concitas. Si timorem, angorem, amarorem, mœrorem, & sexcentas ærumnas, quæ unumquodque peccatum è vestigio confectantur, peccator non persensisset, excusari fortasse apud tribunal justitiæ & veniam sperare posset, at qui toties tot se tantisque obrutum sensit amaritudinum fluctibus, quoties stillulam falsæ voluptatis, quâ illitum est peccatum, degustavit, nihilominus tamen eadem appetere illecebras cum enormi Divini Numinis disgustu non dubitavit, quam tandem excusationem proferet, quam veniam sperabit, quam pœnam subibit? Septuplum ultio dabitur de Cain, quòd à DEo monitus, nè iram fovendo pessimè sibimetipsi faveret, dum vultum concidere, quietem animo fugere, omnem vitæ jucunditatem desperire sentiret, post amicam hanc DEL monitionem priorisque remissionem culpæ, nihilo secius in voluntarium istum Dæmonem (itâ iram Chrysostomus) sponte incidit, & fratrem innoxium de medio scelestissimè sustulerit. Septuplum ultio dabitur de Cain, qui in seipsum desperatione plenam protulit Sententiam: *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear*. Non meretur facile veniam, qui facile priorem repetit culpam: cave cum mortuus fueris semel, moriaris ite-

rum, jam non peccato morieris, sed veniæ. itâ Ambrosius Serm. 18. in Ps. 118. Septuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagesies septies, quia Caini supplicium vidit, nec tamen culpam cavit, sed duplicavit, cum Cainum pro fera habuit & occidit, armigerum verò suum, à quo falsò monitus de fera fuerat, arcu insuper percussum exanimavit, adeoque duplo sese scelere obstrinxit, dignus non duplo sed septuplò graviore mactari supplicio. Dignus enim verò est omnis relapsus pœnâ saltem septuplum majore, quàm prius commeruerat peccatum, quod supponimus fuisse remissum.

Ponamus itaque exempli gratiâ homicidium, adulterium, perjurium vel quodcunque aliud flagitium primâ vice patratum promeruisse septem plagas juxta illud divinæ Justitiæ decretum: *percutiam vos septies*. Levitic. 26. v. 24. & illud Psaltis postulat: *redde vicinis nostris septuplum* Ps. 78. v. 12. si post impetratam veniam denuò patratum est, jam non septem, sed septies septem, puta 49. plagas merebitur. Si secundo remissum, tertiâ vice patratum est, merebitur trecentas quadraginta tres plagas. Si tertio remissum, quarto commissum fuerit, multabitur plagis bis millenis, quadringentis & unâ. Si quarto, vapulabit plagis decies sexies millenis octingentis & septem. Si quintum, numerabuntur centies decies senties millenæ, sexcentæ, quadraginta novem plagæ. Si post sextam remissionem septimò repetitum fuerit, non sufficient nisi septem milliones plagarum, insuperque septingenta & quinquaginta tria plagarum millia, quingentæ, quadraginta tres plagæ.

Ne quis verò exaggeratiùs & severiùs quàm veriùs ista à me dici

§. 4.
Relapsus
in peccatum
septuplò gravi-
or est prio-
re lapsu.

§. 5.
Relapsus
frequens

§

ex-

reprobati-
onis indi-
cium.

existimet, appello incarnatæ incorruptæque Veritatis oraculum, à quo didicimus ejecto ex anima dæmone assumere septem alios spiritus nequiores se, *Et ingressi habitant ibi Et sunt novissima hominis illius peiora prioribus* Luc. II. v. 26. magnus dæmon peccatum est, ut aliàs ex D. Chryostomo dicere me memini, hic autem dæmon seu peccatum septies nequior evadit, cum redit per relapsum pœnitentis, & pœnè desperatam recidivi reddit salutem, ita conclamante Apostolo: *Impossibile est eos, qui prolapsi sunt rursus renovari ad pœnitentiam*, cujus horrendæ assertionis causam mox subjungit: *rursum crucifigentes sibi met ipsi Filium DEi*. læsa toties Dei patientia fit furor, ut vel spatium pœnitentiæ relapsis non concedat, vel gratiam congruam non indulgeat. *Super tribus inquit iratus DEus sceleribus Gaza, Et super quatuor non convertam eum.* Amos. I. v. 6. per tria scelera intelliguntur plurima cogitatione, ore, opere commissa, & per seriam pœnitentiam remissa, per quartum verò designatur recidiva, quæ divinam tantopere exacerbatur clementiam, ut ulterioris conversionis gratiam rescindat: *Super quatuor non convertam.* Concludant proinde Doctores Ascetici frequentem in eadem scelera post actam pœnitentiam relapsum, manifestum esse reprobationis indicium, sicuti sæpe relabi in morbum, vicinæ mortis est signum. Clara sunt æterni Judicis verba:

Luc. 9. v. 62

Nemo mittens manum ad aratrum, Et respiciens retrò, aptus est regno DEi. Manum mittere ad aratrum, inquit divinorum Interpres verborum Gregorius, est per quendam quasi compunctionis vomerem ad proferendos fructus terram sui cordis aperire. Sed retro post aratrum aspicit, qui post exordium boni ope-

S. Gregor.
hom. 3. in
Ezechiel.

ris ad mala revertitur, quæ relinquit. & talis à DEo & Angelis relinquitur, quia regno DEi aptus non habetur, hinc illæ Angelorum voces: *Curavimus Babylonem Et non est sanata, derelinquamus eam.* Cum verò à tutelaribus Geniis, volente DEo, derelinquitur, in flagitiorum omnium barathrum finitur incidere juxta id Ps. 80. v. 13. *dimisi eos secundum desideria cordis eorum: ibunt in adinventionibus suis;* donec impleta scelerum mensura in puncto in infernum descendant. non sunt canes apti cœlo. *foris canes*, neque mittuntur cœlestium deliciarum gemmæ ante porcos, canibus & porcis similes sunt, qui redeunt ad vomitum & volutabrum luti, infelices heu victimæ, nil miserantis orci! *In duobus contristatum est cor meum*, inquit Siracides *Et in tertio iracundia mihi venit.* Non cupio scire duos illos, qui contristant sapientem, tertium potius rescire a veo, à quo ad justum furorem se concitari fatetur: quis quæso ille est? *qui transgreditur à justitia ad peccatum, Deus paravit eum ad romphæam.* ad romphæam parari est, ad æternum supplicium præsciri, contra reprobos enim romphæa bis acuta ex ore judicis egreditur, quæ corpus & animam feriat in perpetuas æternitates. *qui transgreditur à justitia ad priora peccata, Deus paravit eum ad romphæam.* quamvis omne scelus divinam provocet iram, illud tamen longè gravius sentitur, quod post remissionem acceptam. Videamus id breviter in exemplis.

Peccant contra primum Decalogi præceptum tres Magi, peccat & Balaam, omnes maleficiis & præstigiis devoti, ut docent, Augustinus, Ambrosius, Hieronymus. Viderant Magi stellam, prævidit & Balaam; *oriatur stella ex Jacob for-*

Jerem. 51.
v. 9.

Apoc. 22.
v. 15.

Eccli. 26.
v. 25.

§. 6.
Exempla
Relapsio-
rū August.
Ser. 2. de
epiph.
Ambros.
super Luc.
Hieron. in
C. 19. Jf.
tè

tè Magi non vidissent, nisi Balaam præmonstrasset. hac duce stellâ ad solem justitiæ perveniunt tres Magi, & tanquam stellæ firmamenti lucent in omnes æternitates, Balaam contrâ in noctem æternam incidit, & tanquam ignis fatuus in tenebrarum chaos relegatur. Cur salvantur Magi, reprobat Balaam? quia hic veritate sæpius agnitâ ad priores relabatur superstitiones, illi verò ad viam veritatis & salutis semel conversi priorem non repetunt semitam, sed ut Evangelista loquitur: *per aliam viam reversi sunt in regionem suam.* per aliam viam per alteram vitam ad illam primam nostram revertamur, de qua per Adam ejeti infeliciter sumus, itâ Chrysologus Ser. 159. Chrysofomus verò homil. 2. in imperf. qui relicto Christo vadunt ad Herodem, frequenter revertuntur ad Christum, qui autem relicto Herode ad Christum veniunt toto corde, nunquam revertuntur ad Herodem. & hi in bona stella ad solem æternæ felicitatis appropinquant.

Peccat contra pleraque Decalogi præcepta Manasses, peccat & Achab; salvatur ut spes bona est Manasses, reprobat ut extra controversiam est Achab, quia Manasses post pœnitentiam pœnitenda amplius non commisit, pœnitenda verò plurima post pœnitentias plures patravit Achab, qui *venundatus* esse dicitur, ut faceret malum, quòd suâ se lubricitate & relabendi in pristinos errores pronitate dæmoni manciparit, ut sui vix amplius juris videretur esse, sed pro dæmonis arbitrio nunc per uxorem, nunc per pseudopphetas in quævis scelera præcipitaretur. Et quamvis pœnitenti Achab veniam sponderit DEus: *quia igitur Achab humiliatus est mei causâ, non inducam malum in diebus ejus, nihilominus ut ex se-*

quentic. 22. v. 35. constat, ipse Rex cum exercitu suo devastatus occubuit & periit, non quòd verbum DEi esset immutatum, sed quia immutata erat pœnitentia Regis: *Dominus autem non potest mutabilis estimari* inquit S. Ambrosius, *sed confessionis immemori non putabat esse servandum, quod promiserat pœnitenti.*

S. Ambrosius
de Nabothâ
c. 17.

Peccat contra quintum & sextum præceptum David, peccat & Herodes; Salvatur David non Herodes, quia ille relapsus non est, concione prophetæ Nathan auditâ, relapsus est Herodes, qui licet audito Joanne multa fecerit, teste Marco, quia tamen priora repetiit malefacta, quidquid aliquando boni egit, actum egit.

Marc. 6.
v. 20.

Peccant contra præceptum quartum & sextum Ruben & Absalon, Ruben Sanctorum Syllabo adscribitur, expungitur Absalon, quia hic reconciliatus patri, sæpius eundem graviusque lacepsivit, Ruben verò offensæ primæ secundam non adjecit.

Peccant contra secundum & quintum præceptum Saul & Saul, Saul perjurus innoxium Davidem persequendo, Saulus nomen Salvatoris insectando, omnesque qui invocant nomen hoc ad compedes & catastas inquirendo. Salvatur Saulus non Saul, quia Saulus semel conversus nunquam amplius est perversus, Saul contrâ errorem toties agnitum deflevit, nec tamen infonti genero mortem machinari destitit, indignus idcirco habitus, qui corripere amplius aut lugeretur cohibente Samuelem DEo, nè preces amplius pro Saule funderet: *usquequo tu luges Saul, cum ego projecerim eum* 1. Reg. 16. indigni sunt, qui lugeantur, quotquot post salutarem pœnitentiæ luctum lugenda rursus perpetrant; projecti à facie DEi

sunt

Matth. 2.
v. 12.

3. Reg. 21.
v. 21. & 29.

funt qui ad reconciliationis osculum admissi, faciem DEo denuò obvertunt. contra quos clamat Jeremias c. 18. v. 23. *abutere eis in tempore furoris tui* quia tuâ illi patientiâ sunt abusi.

Peccant Ezechias & Pharaon peccato superbiæ, ideòque ambo plectuntur, leviùs Rex Solymæ, graviùs Ægypti, hic tamen in pœnis magis induratur, donec ex profundo aquarum in profundum flammaram devolveretur, Ezechias contra conversus ad parietem plorat & exorat tria vitæ lustra, & æternas in super beatæ immortalitatis delicias, quia nihil ultrâ dignum lacrimis patravit.

Peccant in mitissimum Magistrum suum Judas & Petrus, hic illo prope graviùs, quia pluribus beneficiis devinctus, & tamen in gratiam ampliorem recipitur, ille in malam abire crucem permittitur. nimirum Petrus benigno Christi aspectu ad pœnitentiam emollitus cœpit flere amarè, nec amare Magistrum destitit, dum supremum illi spiritum in ara crucis litavisset. At Judas postquam pœnitentiâ ductus argenteos retulisset, & solenne pœnitentium verbum *pecca-vi* protulisset, novo se iterum scelere nefariæ desperationis sordidavit, fœtentemque spiritum ruptis illis in fauces Tartari exhalavit.

Caveat relabi, qui timet reprobus accenseri, & bis acutâ justitiæ rhomphæâ jugulari, timeat relabi, qui timet à DEo deseri & disperire, horreat relabi, qui cum servo nequam in æternos compingi carceres perhorrescit. Merito veniam post lapsum alterum consecutus non est, qui in septemplici suâ malitiâ voluit esse tērque quaterque miser & misericordiæ infinitæ visceribus indignus. Quod Lamachus Centurio de bello dixit, de universa hac vita, quæ est militia super terram, repetere libet: *in bello, in vita, non licet bis peccare.* peccatum satis est, jam non peccabimus ultrâ. Itâ nos Deus amet & infinita ejus, quam ad ultimum vitæ spiritum confidentissimè rogamus, patientia.

In Emblemate propono avem stupidam, quæ in laqueum & viscû, unde vix evaserat, revertitur; Scaram piscem, qui in rete ultrò redit & capitur; feram quæ in foveam, unde vix elapsa, sponte recidit & interit; lemma omnibus idem: *si redit illa secundo, non redit illa secunde.* Vel crystallum in frusta comminutam, & rosam in minutias discerptam fingamus cum lemmate: *deperit illa semel.* Multis bis peccare non datur, vel bis peccantibus venia non conceditur. peccatum semel est, peccatum satis est.

§. 7.
Cavendus
relapsus.

§. 8.
Emblema.



PRO-